



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

IV. Petitio charitatis ad Spiritum S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

IV. *Petitio charitatis ad Spiritum S.*

O Divine Spiritus ! amor incarnate & Ignis dilectionis æternæ ! ecce ego tepidus anhele ad te, sub Eucharistico velamine latentem, ut totus accendar à te.

Diligam te Domine, amore spirituali, quo omnia peccata odio habeam, omnes imperfectiones fugiam, & te unicum bonum meum omnibus creatis anteponam.

Diligam te Domine, amore inseparabili, quo semper in cogitatione & affectu te præsentem habeam, donec in regno tuo facie ad faciem te videam.

Diligam te Domine, amore infatigabili, quo nunquam à contemplatione perfectionum tuarum, nunquam à desiderio perfecti amoris tui, & studio bonorum operum desistam, donec in æternitate te inveniam.

Diligam te Domine amore incontaminabili, quo quidquid in mundo est concupiscentiæ abjiciam, ut me à seculo hoc immaculatum custodiam, donec ad puritatem increatam perveniam.

Diligam te Domine amore dulci & inextinguibili, quo nihil me fatiet, nihil delectet

nisi Bonitas æterna, quam in omnibus
quæram, donec in cœlo apprehendam.

Diligam te Domine, amore libero, quo
hostes meos contemnam, omnia cum
summa spiritus libertate perficiam, donec
ad libertatem Filiorum Dei conscendam.

Diligam te Domine, amore insupera-
bili, quo nullis adversis cadam, & unum
quodammodo tecum efficiar, ac cum A-
postolo dicam: Quis me separabit à cha-
ritate?

O Veni sancte Spiritus, reple tuorum
corda fidelium, & tui amoris in eis ignem
accende!

FERIA II.

I. *Suspiria ad impetrandum Spiritum Sanctum ejusque Dona.*

O Jesu Nazarene! flos de radice Jesse
super quem, vi unionis hypostatica
necessariò & connaturaliter requiescit
Spiritus Domini cum septem donis suis
in gradu excellentissimo; dispone me præ-
veniente gratiâ tuâ, dignumq; me effice
ad quem divertas, tecumq; Spiritum San-
ctum adducas, qui septem sua charismata
in gradu eminente mihi communicet.

Veniat